



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866**

De SS. Lamberto Et Bellerio CC., S. Gisleni Discipulis Ursidongi, Nunc  
Gislenopoli, In Hannonia

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)



## DE SS. LAMBERTO ET BELLERIO CC.,

S. GISLENI DISCIPULIS

URSIDONGI, NUNC GISLENOPOLI, IN HANNONIA

SUB ANNUM  
DCC.  
Paucæ San-  
ctorum ge-  
sta

**A**ntiquorum monumentorum penuria, qua antiquiores S. Gisleni biographi laborarunt, fecit, ut omnia, quæ de illo litteris tradi poterat, potuerint posteritati transcribere, ut dictum est supra: mirum itaque videri haud debet, si, quæ a Discipulis, quam ea, quæ a Magistro illorum gesta sunt, multo pauciora sint, minusque explorata. In Attica nati, origine fortassis Franci aut Belgæ fuerint, et nomen Græcum, cum in Belgium una cum S. Gisleno venerunt, cum Francico Belgicove nomine permutarint: videntur equidem S. Gisleno, ex Græcia Romam profecto, comites fuisse ex dictis in Commentario ad Acta S. Gisleni prævio § 4, num. 37. Utrumque porro ob virtutum procul dubio præstantiam Magistro suo præ ceteris in pretio et amoribus fuisse, eique constanter adhæsisse, ex ejusdem Actis satis liquet. Singulare aliquod eorum factum, quod referat, nullus est, si Rainerum (de quo plura pag. 1011 et seq. sunt disputata) excipias: is cap. 3 quamdam S. Lamberti apparitionem, cum S. Gisleni reliquiæ Malbodium furtim essent advectæ, cuidam Egrardo factam his verbis memorat: Post hæc nocte secuta vidit quidam Egrardus in visu quasi in oratorio esset ejusdem Cellæ (id est, Cellensis monasterii) ante Dei Genitricis Mariæ stans altare, ecce vir quidam apparens dixit ei: Scis, qui sum ego? Cumque ille respondisset, nescio: Ego sum, inquit, Lambertus, mei Domini Gisleni filius. Tristitiam deponite, quam habetis de eo, quia cito ad vos revertetur meus patrinus. Surgens ergo vade, dic Herberto comiti (verosimiliter Vermandensi, de quo vide pag. 1025, num. 62) qui extitit jugiter domino meo optimus vicinus, quod erat Malbodium, dicens fratribus et sororibus loci, ut reddant illi S. Gislenum, quem abstulerunt hinc, quemque secum adhuc retinent: etenim nec Deus ipse cupit, illic (ipsum) manere, sed in loco, quem ei dignatus est omnipotens providere. Verum nec factum hoc omnino certum apparet. Quod enim S. Lamberto Rainerus adscribit, nescio, an non ipsemet S. Gisleno tribuat Inventionis corporis ejusdem Sancti auctor synchronus sequentibus verbis: Exin cum sacerdos Cellæ beati Viri æditus ac vicini circumquaque suspensi mœrore nimio de ablato corpore afficiuntur, apparuit idem (S. Gislenus) quibusdam ex iis per visum consolans spondensque se celeriter reversurum, simulque monens, ut Malbodienses super hoc convenirentur. Ut eorum gesta, ita et annos, quibus ex hac vita migrarint, exploratos haud habeo: vero tamen fit simile, eos magistro suo annis aliquot fuisse superstites: cum

igitur ille sub annum 681 obiisse videatur, horum obitum in annum circiter 700 visum mihi fuit ex conjectura differre.

2 Variis quidem, at parum antiquis, inscribuntur Fastis sacris: ad diem xxx Maii memorantur a Wione, Dorganio, Bucelino aliisque: Quæ festivitas (SS. Lamberti et Bellerii, inquit Wion) celebratur quotannis in Dominica CANTATE, seu IV, post Pascha. Cur igitur diei xxx Maii festum hoc illigat? Rectius Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii postridie illius Dominicæ festum eorum celebratum ait, ita de illis ad diem ix Octobris scribens: Sancti porro Bellerius (quem et Valerium vocari asserit) et Lambertus presbyteri et confessores, discipuli et cooperatores sancti Gisleni, ut eos præceptoris suo subjungam, simul quiescunt in loculo portatili in parochiali ecclesia oppidi S. Gisleni, ubi Officium habent de communi Confessorum; et festum apud cives celebre feria secunda post diem Dedicacionis ecclesiæ, quæ incidit in Dominicam CANTATE, quartam post Pascha. Molano Philippus Brasseur in sua Hannoniæ Sanctorum Panegyri metrica ita succinit:

Reliquias utriusque modo pare capsidæ clausas

Unica Martino sacra parœcia servat:

Insuper Officium persolvit utrique quotannis

Post quartam Domini transacto a Paschate lucem,

Quando secunda redit benedicto feria templo,

3 Quod mobile hæcenus fuerat SS. Lamberti et Bellerii festum, annuente domini Gisleni Molle, abbatis Gisleniani, precibus Jacobo Theodoro de Brias, Cameracensi archiepiscopo, diei xxx Maii assignatum, et inter secundæ classis festa, ut ex Notitiis Gislenianis didici, relatum fuit anno 1688; eodem nimirum, quo prodit in lucem tomus Maii septimus, in quo Majores nostri ad diem xxx ejusdem mensis SS. Lambertum et Bellerium in diem ix Octobris, ut qui præceptoris illorum sacer esset, rejiciendo consueverunt. Adhuc insuper laudatæ mox Notitiæ, computationem quamdam in cænobio, ut reor, Gisleniano, anno 1054 mense Maio, atque adeo seculo plus integro ante Urbani VIII datum anno 1625 de Sanctorum cultu decretum, initam fuisse, in qua summæ cujusdam pecuniariæ, die SS. Lamberto et Bellerio sacra numeratæ, fit mentio: ex quibus denique pariter compertum habemus, in eorum honorem sodalium ibidem institutum, et aliquas in Montensi seminario eorundem reliquias aliquando fuisse servatas.

lege est

et cultus

E

sacer.

F

DE